



# Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

BIBLIOTHECAE BODLEIANAE

DICAVIT

UNIVERSITAS CATHOLICA LOVANIENSIS

**1602-1902**



Syt. d.  $\frac{112}{2}$








SANCTI EPHRAEM SYRI

HYMNI ET SERMONES.





سارماترا هطبة على  
بمها حيا منب افنم  
ملافا

SANCTI EPHRAEM SYRI  
HYMNI ET SERMONES

QUOS E CODICIBUS LONDINENSIBUS,  
PARISIENSIBUS ET OXONIENSIBUS DESCRIPTOS, EDIDIT,  
LATINITATE DONAVIT, VARIIS LECTIIONIBUS INSTRUXIT, NOTIS ET PROLEGOMENIS ILLUSTRAVIT

THOMAS JOSEPHUS LAMY

SS. D. N. PRÆLATUS DOMESTICUS, ECCL. CATH. NAMURC. CAN. HON., S. THEOL. DOCT.,  
ORD. LEOP. EQUES, ACADEM. REGIÆ BRUX. ET RELIG. CATH. ROM. SOCIUS, S. SCRIPT.  
ET LINGG. SEMITT. IN UNIVERSIT. CATH. LOVAN. PROF. ORD., ET COLL. MAR. THER.  
PRÆSES.

TOMUS II.

MECHLINIÆ,

H. DESSAIN, SUMMI PONTIFICIS, S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE  
ET ARCHIEPISCOPATUS MECHLINIENSIS TYPOGRAPHUS.

M. D. CCC. LXXXVI.

TOUS DROITS RÉSERVÉS.



IMPRIMATUR.

Opus quod inscribitur : *Sancti Ephraem Syri Hymni et Sermones quos e codicibus Londinensibus, Parisiensibus et Oxoniensibus descriptos, edidit, latinitate donavit, variis lectionibus instruxit, notis et prolegomenis illustravit* THOMAS JOSEPHUS LAMY, *SS. D. N. prælatus domesticus, Eccl. cath. Namurc. Can. hon., S. Theol. Doct., Ord. Leop. Eques, Academ. Reg. Brux. et relig. cath. rom. Socius, S. Script. et Lingg. Semitt. in Universit. cath. Lovan. Prof. Ord., et Coll. Mar. Ther. Præses*, ex auctoritate Illustrissimi ac Reverendissimi Archiepiscopi Mechliniensis et legum Academicarum præscripto recognitum, quum fidei aut bonis moribus contrarium nihil continere visum fuerit, imprimi potest.

Datum Lovanii, die 1 Octobris 1886.

C. PIERAERTS, RECT. UNIV.



ILLUSTRISSIMO · AC · REVERENDISSIMO

DOMINO

**EDUARDO · JOSEPHO · BELIN**


EPISCOPO · NAMURCENSI

PRÆSULI · VIGILANTISSIMO · MERITISSIMO

IN · GRATI · ANIMI

AC · FILIALIS · AMORIS · TESTIMONIUM.





## PRÆFATIO.

---

Quatuor abhinc annis primum edidi tomum *Hymnorum ac Sermonum S. Ephræm Syri*, nunc secundus prodit tomus, serius quam speraveram ; cujus dilationis causa fuit tum difficultas suscepti operis laborque in eo exequendo et in codicibus describendis subeundus, tum variæ et multiplices occupationes, quibus in fungendo munere professoris ac præsidis collegii Mariæ Theresiæ in hac nostra Universitate detentus fui. Spero, Deo juvante, tertium et ultimum tomum, cui adjungentur Index rerum et dissertatio de re Ephræmi metrica, citius esse proditurum, quum magna ejus pars jam sit prelo parata. Restat ut pro absoluto hoc tomo Deo optimo maximo gratias agam et simul gratos meos sensus exprimam doctissimis viris qui huic meo operi sua benevolentia et adjumento favere dignati sunt, in primis autem venerabilibus viris Musæo Britannico præpositis qui maxima benevolentia pretiosissimos hujus Bibliothecæ codices syriacos mihi, dum Londini degerem, communicarunt, Cl. viro P. Martin in Instituto catholico parisiensi professori, qui e Bibliotheca nationali Acta S. Ephræmi deprompsit et ad me misit, claris etiam viris D. Sachau, in Universitate Berolinensi professori qui nonnulla S. Ephræmi excerpta e codicibus a se ex Oriente allatis ad me direxit, et D. Rahmani, presbytero Mossulensi, qui e codicibus mossulensibus aliquot hymnos in nativitatem Domini mihi transcripsit. Peculiares etiam referendæ sunt gratiæ Ill. D. Clementi David, Syrorum in urbe Damascena antistiti et R. D. L. Kayser sermonum S. Ephræmi de Passione in linguam germanicam translator, qui ad me magnam partem erratorum et corrigendorum infra appositorum miserunt, et meo collegæ, olim discipulo, Ex. D. Forget, linguæ arabicæ in hac nostra Universitate professori, qui partem posteriorem hujus tomi antequam prelo exiret correxit, Excellentissimo etiam viro scientiarum ac litterarum et artium in Belgio administro qui mea studia subsidiis promovit, denique peritissimo typographo H. Dessain, alteri Plantino, senectute et virtutibus venerabili, qui, ut est in litteras propensioris animi, suis expensis et sumptibus non solum typos syriacos ad opus cudendum emit, sed totum opus eleganter optimaque charta impressit.

Scribebam Lovanii, die festo S. Augustini, 28 Aug. 1886.

AUCTOR.

## PROLEGOMENA.

Acta  
Ephræmi.

I. Exorditur tomus hic secundus ab *Actis S. Ephræmi* a cl. D. Martin e codice syriaco parisino 235 descriptis. Codex quidem ad sæculum XIII merito referri videtur; quo autem tempore vel loco vixerit auctor anonymus qui hanc Ephræmi historiam conscripsit, quosnam fontes adierit, non constat, sed vel ejus textus quasdam interpolationes passus est, vel ipse, medio ævo scribens, nonnullis rebus fictitiis, ut sæpe tunc fiebat, S. Ephræmi historiam exornare voluerit. Certe ad manus pleraque Ephræmi scripta eaque quæ nos latent habuerit; plura etiam hausserit e fontibus syriacis. Testatur quippe Sozomenus plura de Ephræmo apud syros notissima fuisse quæ apud Græcos inaudita erant: « Indigenæ, inquit, plura de illo norunt et commemorant<sup>1</sup>. » Conveniunt porro in multis Acta parisina cum Actis, quæ e codice syriaco vaticano XI sæculi edita sunt in tomo III *Opp. Syr.-lat.* S. Ephræmi, quæque maximam jam partem edita fuerant a J. S. Assemano in tomo I suæ *Bibliothecæ orientalis*. Discrepant autem Acta parisina a Romanis in duobus pun-

ctis maximi momenti ad definendam *Vitæ* Ephræmi chronologiam quæ hucusque a nemine recte determinata fuit. Rem quidem aggressus est peculiari opere<sup>2</sup> J. Alsleben, sed veritatem non est assecutus. Eum presso pede secutus est Rædiger<sup>3</sup>, nec ipse magis profecit. Cl. D. Bickell annum quidem mortis diaconi Edesseni post J. S. Assemanum in an. 373 recte reposuit, sed Nisibis obsidiones perturbavit. Quare tota series vitæ S. Ephræmi novo examini subijcienda fuit. Nec frustra: etenim in nostro opere anni nativitatæ ac baptismi S. Ephræmi extra controversiam positi sunt, tempus etiam quo Edessam migravit, quo Valentis persecutioni obstitit; annus denique quo mortuus est exacte et certe determinatus est.

Juxta Acta parisina, Ephræmus natus est anno 306, sub Constantino magno. E domo paterna expulsus, baptismum suscepit anno ætatis 18<sup>o</sup>, Christi 324. Anno sequenti ivit ad concilium Nicænum. Acta romana hic chronologiam perturbant, quum differunt ejus baptismum in annum ejus 28<sup>m</sup>, Christi 334. Anno 338 quo mortuus est S. Jacobus

<sup>1</sup> *Hist. Eccl.* III, 16.

<sup>2</sup> *Das Leben des H. Ephræm des Syrers, nebst einer Abhandlung « Untersuchungen über die chrono-*

*logie Ephræm's »* Berlin, 1853.

<sup>3</sup> *Encyclopædia von Ersch und Græber*, ad vocem « Ephræm. »

nisibenus, cum sancto illo præsule suis utriusque precibus cogit Saporem, Persarum regem, obsidium urbis Nisibis derelinquere. Ephræmus cum Vologese, Nisibin episcopo, obsidioni anni 350 adfuit. In urbe permansit usque dum Persia Joviano traderetur anno 364.

Tunc ex urbe discedere coactus, se recepit in Beth-Garbaia, unde mox per persecutionem expulsus Amidam profectus est. Nec diu ibi commoratus est, anno enim sequenti Edessam se contulit. Edessam igitur advenit anno 365, ibique vel in monte adjacente reliquos vitæ dies transegit et placida morte obdormivit die 9<sup>a</sup>, 15<sup>a</sup>, 18<sup>a</sup> vel 19<sup>a</sup> junii anni 373. Acta parisina et romana tradunt Ephræmum, ex Edessa profectum ut iret in Cappadociam ad Basilium, primo perrexisse in Ægyptum ad monachos deserti ibique per octo annos degisse. Hoc autem admitti nequit. Cum enim Edessam advenerit anno 365 et ibi per aliquod tempus monachus egerit antequam ad Basilium se conferret, cum aliunde constet ejus obitum in annum 373 reponendum esse, impossibile est ut octo annos in Ægypto fuerit, eo vel magis quod eadem Acta tradunt legatos a Basilio ad Ephræmum missos fuisse quatuor post annos a quo Ephræmus Basilium inviserat. Vel igitur quæ narrantur de Ephræmi itinere in Ægyptum interpolata et fictitia sunt, vel exiguo tempore ibi fuerit. Acta non tradunt quonam anno Ephræ-

mus ad Basilium iverit et ab eo diaconus ordinatus fuerit, nec alii scriptores, ut Gregorius Nyssenus, Sozomenus, Metaphrastes, qui illud Ephræmi ad Basilium iter memorant, aliquo modo annum significant. Potest tamen aliunde aliqua lux infundi. Scilicet Basilium anno 370 Cæsareæ episcopus ordinatus fuit<sup>1</sup>. Igitur non ante hunc annum Ephræmus Cæsaream venerit. Ephræmus autem jam ab aliquo tempore Edessam redierat, quum Valens, anno 372, contra Edessenos persecutionem movit. Intra illud igitur temporis spatium iter ad Basilium reponendum est, nempe Ephræmus Cæsaream advenerit ad festum Epiphaniæ anni 371. Jam diximus Acta romana duplici vitio laborare et in hac parte ab Actis parisinis feliciter corrigi. Primum vitium est circa baptismum ejus, alterum est circa persecutionem quæ Ephræmi tempore ab imperatore romano contra Edessam mota est. Acta romana referunt hanc persecutionem ab imperatore Juliano contra Edessam motam fuisse, Ephræmum Juliano restitisse et contra eum scripsisse. Unde consequitur Ephræmum jam ante annum 363, quo Julianus defunctus est, Edessæ domicilium habuisse. Sic tota perturbatur chronologia. At Acta parisina hoc vitium corrigunt. Narrant quippe Valentem imperatorem, non Julianum, Edessam venisse et contra Edessenos persecutionem movisse, de qua scripsit Ephræmus. Hæc autem

<sup>1</sup> Vid *Prolegomena* in *Opp. S. Basilii* ap. Migne,

*Patrol. gr.* XXIX, col. LVII.





Gabriel Cardahi<sup>1</sup> Ephræmum facit filium Josephi Syri, quod ex aliquo codice vaticano desumpsit. Si autem Ephræmus patrem habuerit Josephum quempiam, hoc nomen indicare videtur virum christianum, non ethnicum, ut Acta vaticana et parisiensia tradunt. Idem auctor addit: « Non conveniunt auctores quonam gradu ecclesiastico insignitus fuerit Ephræmus, aliis eum fuisse diaconum, presbyterum aliis contententibus. Secundam sententiam veram esse colligitur e duobus hisce versibus: *ܕܘܢܐ ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ* Talentum dedit mihi sacerdotii et per meam negligentiam in terra illud abscondi. » Non indicat doctus vir undenam isti versus desumpti sint. Anceps præterea hæreo an *ܕܥܘܢܐ* dicatur tantummodo de presbyteratu, et non potius de sacramento ordinis generatim quatenus complectitur ordines sacros: episcopatum scilicet, presbyteratum et diaconatum<sup>2</sup>. Quare donec huic quæstioni nova lux affulgeat, non est cur recedamus a communi sententia, actis confirmata, Ephræmum diaconum fuisse.

II. Commentaria S. Ephræmi in hoc volumine contenta desumpta

*ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ*  
*ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ*  
*ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ*  
*ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ*  
*ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ*  
*ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ*  
*ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ*  
*ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ*

<sup>1</sup> Lib. cit. p. 9.

<sup>2</sup> Certe apud Assemanum, *Bibl. Orient.* III, part. I,

sunt ex eadem catena, e qua editores romani commentaria S. Doctoris eruerunt<sup>3</sup>, nempe e *Catena Patrum in Scripturam* a Severo monacho edesseno, anno Christi 861, elaborata.

Commentaria.

S. Ephræmus plerosque, si non omnes, libros veteris Testamenti qui in textu hebræo et in versione simplici inde derivata continentur, commentariis elucidavit. Recitavimus præclarum de hac re testimonium Ebed-Jesu Sobensis in suo Catalogo scriptorum syrorum<sup>4</sup>. Ephræmi commentaria prima vice edita fuerunt in magna editione syro-latina operum S. Doctoris. Desunt tamen in hac editione Libri Ruth, Paralipomenon, Esdras, Nehemias, Esther, Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, ultima pars vaticiniorum Isaïæ, Jonas, Nahum, Sophonias, Habacuc et Aggæus, præter omnes Libros Deuterocanonicos, quos Ephræmus explanavisse non videtur. Præterea nonnisi fragmenta habemus commentariorum in libros Numerorum et Deuteronomii. E testimonio Ebed-Jesu Sobensis certum est Librum Psalmorum ab Ephræmo explanatum fuisse. Invenimus etiam aliqua citata e commentario in Proverbia; an autem S. Doctor com-

239, sub nomine *ܕܥܘܢܐ* comprehenduntur *ܕܥܘܢܐ* presbyteri et diaconi; *ܕܥܘܢܐ* ordo sacerdotii in syn. Ephes. II valet *ܕܥܘܢܐ* *ܕܥܘܢܐ*.

<sup>3</sup> Commentaria S. Ephræmi in Pentateuchum, Josue, Judices, Libros Regum, Jobum, Isaïam, Jeremiam, Ezechielem, Danielem, Oseam, Joëlem, Amosum, Abdiam, Michæam, Zachariam et Malachiam edita sunt in *Opp. Syr-lat.* t. I-II.

<sup>4</sup> Vide t. I, proleg. p. XXXI.

mentariis illustraverit alios libros supra indicatos, non ita certo affirmari potest, quamvis S. Gregorius Nyssenus in suo Ephræmi encomio, Dionysius Barsalibæus et Gregorius Barhebræus (ap. Asseman. B. O. I. 57, 63) testentur Ephræmum explanavisse omnes Veteris et Novi Testamenti libros. De prophetis autem Ebed-Jesu affirmat a S. Doctore explanatos esse quatuor prophetas majores et duodecim minores. J. S. Assemanus<sup>1</sup> etiam indicat se commentaria Ephræmi in Jonam, Nahum, Habacuc Sophoniam et Aggæum legisse in Catena Severi monachi, quæ tamen ommissa fuere ab editoribus romanis, forsitan quia codex nimium detritus fuerit. Quidquid sit, commentaria in hos quinque prophetas et in posteriorem Isaïæ partem ac in Lamentationes Jeremiæ feliciter nacti sumus in Musæi Britannici codice additio 12,144 eaque in hoc volumine inseruimus post Acta S. Ephræmi. Notandum est commentaria S. Doctoris integra ad nos non pervenisse, sed per fragmenta et veluti *scholia* digesta esse. Solent quippe Catenam auctores fideliter quidem Patres exscribere, sed ea quæ fusius dicta sunt, servatis auctorum verbis, abbreviare et præcipuas tantum explicationes transcribere. At, quamvis commentaria vel potius scholia S. Ephræmi in libros veteris Testamenti ad nos non nisi per medium alicujus Catenæ pervenerint, tamen præcipuum quemdam locum tenent

inter hujus generis opera, quæ quatuor prioribus Ecclesiæ sæculis a Patribus conscripta sunt. Sufficiat in hanc rem adducere testimonium Cæsaris Lengerke qui doctis operibus et singulari studio commentaria S. Ephræmi ad trutinam criticam revocavit.

Is igitur auctor ita scribit: « Hoc unum tantum hic monuerim, primum omnium quicumque SS. interpretationes scripserunt, fuisse nostrum, qui inter allegoricam et inter verbalem interpretandi consuetudinem, mediam quandam viam incederet constanterque persequeretur, atque eum, qui interpretes inter Græcos antecessissent, quod ad historiam et grammaticam interpretandi rationem, longissime antecelluisse omnes<sup>2</sup>. »

Quamvis autem S. Ephræmus libros V. T. deuterocanonicos non explanaverit, eos tamen pari veneratione ac ceteros libros sacros suscipiebat. Nam frequenter in suis hymnis et sermonibus provocat ad facta in illis narrata aut eorum verba recitat. Sic provocat ad *additamenta Dan. Opp. Syr.-lat.* III, 47; ad *Machabæos*, ibid. II, 218, 231; ad *Judith*, ibid. II, 293; ad *Baruch*, ibid. II, 212-213; ad *Machabæos* in *Carminibus nisib.* p. 198, 219, 221; rursus ad *additamenta Danielis* in nostro opere t. I, 530; II, 662, 668, 670; ad *Tobiam*, ibid. I, 300; ad *Ecclesiasticum*, ibid. I, 302; ad *Machabæos*, ibid. I, 78. In tertio vo-

<sup>1</sup> *Bibl. Orient.* I, 70-71.

<sup>2</sup> C. Lengerke. *De Ephræmi Syri arte hermeneutica.* Regiomontii Prussorum, 1831, p. VII-VIII.

lumine edituri sumus hymnos in Machabæos. In operibus græcis frequenter citantur *Sapientia et Ecclesiasticus*. Utitur pariter S. Doctor omnibus N. T. libris, nulla distinctione facta inter libros proto et deuterocanonicos.

Textus syriacus cui annexa sunt Ephræmi scholia a monacho Severo nobis transmissa textus est versionis simplicis; differt tamen multis in locis a textu impresso hujus versionis et nunc quidem accedit propius ad hebræum, nunc vero declinat ad versionem septuagintaviralem. An autem illæ discrepantiæ codici quo usus est Ephræmus, an vero codici cui postea Severus monachus scholia Ephræmi adjunxit, tribuendæ sint, non ita certo affirmari potest, quum e scholiis appositis res definiri nequeat. In uno quidem aut altero loco, ut v. g. ad Is. LIX, 20, e scholiis constat Ephræmum aliter legisse quam habet Catenæ textus adeoque discrepantiam post Ephræmum esse invectam; sed rariora sunt illa loca ut conclusio generalis exinde deduci possit<sup>1</sup>. Utique omnibus constat Ephræmum, ubi in suis sermonibus aliqua Scripturæ verba adducit, ea juxta versionem simplicem constanter recitare, etiam in locis ubi illa versio differt ab hebræo et a versione LXX. Ejus scholia etiam ita

sunt digesta ut versionem simplicem continuo exponant, non autem nisi raro textum hebræum vel græcum ubi scilicet hi textus a versione simplici discrepant. Quum Ephræmus per totam fere vitam commoratus sit Nisibi et Edessæ, in quibus civitatibus erant scholæ famosæ multiquè Judæi; quum præterea lingua hebræa magnam habeat cum syriaca affinitatem, suspicari quis possit cum J. Assemano et P. Benedicto<sup>2</sup> Ephræmum linguæ hebraicæ non fuisse ignarum, eo vel magis quod nonnullas Judæorum traditiones ex eorum consortio aut ex eorum libris vel magistris acceptas interdum in suis commentariis referat et sæpe Judæos in suis sermonibus et hymnis impugnet. Hæc autem suspicio omnino firmari primo intuitu videtur e ratione loquendi S. Doctoris in suis scholiis. Etenim non raro in commentariis, quæ in editione romana habentur, non in nostra editione in qua nulla hujusmodi locutio obvia est, locutiones occurrunt quales sunt istæ: Ubi enim dicit, « oravi » in *textu hebræo* scribitur « jejunavi<sup>3</sup>; » intravit, juxta *hebræum*, ut « tegetet pedes suos, » pro quo versio nostra dicit « et ibi dormivit<sup>4</sup>. » Vox *שׁוֹר* (sen'or) *hebraica* est et rupem significat<sup>5</sup>; » « Vox *נֹמֵד* (noqdo) quam hic ex-

<sup>1</sup> Aliqua exempla adducit C. Lengerke, *Comment. critica de Ephræmo Syro SS. interprete*. Halis saxon. 1828, p. 15.

<sup>2</sup> Ephræmum linguam hebraicam cognovisse et fonte hebraico usum esse contenderunt J. S. Assemanus *Bibl. Or.* I, 71; Petrus Benedictus *Opp. Syr.-lat.* I, præf. ad lect. p. 22; Spohn, Wohl,

Eichhorn apud Lengerke, *Comment. critica*, p. 22, sqq. Lengerke autem in illa commentatione totus est ut demonstret Ephræmum linguam hebræam non calluisse.

<sup>3</sup> *Comment. in Deut.* IX, 9.

<sup>4</sup> *I Samuel*, XXIV, 4.

<sup>5</sup> *I Sam.* XXIII, 28.



primit Scriptura, nomen est quod ex *hebræo* derivat, significatque gregum dominum, qui nimirum plurima pecora alat<sup>1</sup>. » Et mox adhuc : « **נֹקִישׁ** (noquiso) quam dicit mater est chordarum aut Kinnara secundum *hebræum*<sup>2</sup>. » Ex his similibusque locutionibus in scholiis Ephræmi sæpe obviis concluderunt Spohn et alii Ephræmum hebraice doctum fuisse. At observandum est S. Doctorem eodem modo loqui de versione græca, quamvis linguam græcam ignoraret, ut alibi probavimus<sup>3</sup>. Sic ad *Zach.* XI, 5, adnotat : « Pastor stolidus. » *Græcus* autem « pastorem imperitum dicit. » Imo de Nemrodo ait : « Ipse fuit vir **נַהֲסִירְטוֹן** (nahsirtono) coram Domino. » Nahsirtono enim venatorem Persæ appellant<sup>4</sup>. Exinde tamen nemo recte dixerit Ephræmum linguæ persicæ fuisse peritum. Quare, etsi non diffiteor Ephræmum propter linguarum hebraicæ et syriacæ affinitatem quædam verba hebraica intellexisse, ut galli verba italica, tamen e locis allatis satis firmum duci nequit argumentum. Fieri enim potest ut Ephræmus ad marginem sui codicis quasdam notulas habuerit ex *hebræo* vel *græco* adjectas. Satis probabile est Hexapla Origenis non fuisse ignota in urbe Edessa Romanis subjecta. Quum jam tunc temporis scripta Græcorum syriacæ

redderentur, forsitan plura ex Hexaplis syriacæ versa fuerunt, quibus Ephræmus uti potuerit. Nulla quippe probabili ratione conficitur Ephræmum hebraicæ linguæ peritum fuisse. Etenim si hebræam linguam S. Doctor calluisset, sæpius ad textum hebræum recurrisset, maxime ubi versio simplex obscura est aut a vero sensu recedit ; attamen Ephræmus etiam in iis locis Versionem simplicem sequitur et explanat<sup>5</sup>.

Quum autem Versio Simplex immediate ex *hebræo* derivata sit et textui primigenio propter utriusque linguæ affinitatem presse inhæreat, commentaria S. Ephræmi plurimum utilitatis afferunt ad textum primigenium elucidandum. Nam S. Ephræmus omne studium adhibet ut sensum litteralem textus assequatur et exponat et ad hunc finem non solum quid verba sonent, quid metaphoræ significant, sed quid contexta oratio, quid loca parallela, quid Ecclesiæ sensus habeant, inquirat. Ita tamen sensum, litteralem exponit ut non negligat sensum typicum et spirituales. Utique non studet constanter sensui allegorico, ut Origenes, sed illum non negligit, ubi ad informandos mores utilis videtur. Elucidat locutiones metaphoricæ et symbolicas in prophetis frequenter obvias<sup>6</sup>, ostendens quo sensu ad Babylonios, ad Judæos aut ad Christum refe-

<sup>1</sup> *II Reg.* III, 9.

<sup>2</sup> *II Reg.* III, 15.

<sup>3</sup> T. I, XXXII. Cfr. infra col. 56.

<sup>4</sup> Vid. *Opp. Syr.-lat.* I, 153.

<sup>5</sup> Card. Wiseman in *Horis syriacis* Romæ, 1828,

p. 112, sqq. fuse demonstravit Ephræmum versione simplici in suis commentariis usum esse.

<sup>6</sup> Sic ad *Is.* LXIV, 1 : « *A conspectu tuo liquefacti sunt montes.* » *Ægyptios*, inquit, *Amorrhæos* et *Amalecitas* montes vocat propter eorum elationem. »

rantur. Ad Christum autem referri et quidem sensu litterali vaticinia Isaïæ de « servo Dei » illumque servum esse Christum, qui ita appellatus est « quia accepit formam servi et quia missus est a Patre ad salutem mundi<sup>1</sup>, » ita dilucide explicat ut videatur os occlusisse rationalistis diu antequam nascerentur.

Omnia prophetarum oracula dicta non sunt de Christo in sensu litterali, non pauca agunt de Messia solum in sensu typico. Voluit enim Deus veterem Legem Legis novæ figuram esse. Hoc Ephræmum non fugit. Sic in sensu typico explicat verba *Is.* LIX, 20 : « *Sioni veniet salvator*, id est, inquit, Zorobabel. Sion autem spiritualis et collis visionum seu revelationum Ecclesia est. Salvator autem qui ad eam venit est Christus, Zorobabel ille magnus. » Eodem modo explicat verba Jeremiæ Thren. V, 20 : « *Spiritus narium nostrarum Unctus Domini capietur in fovea*. His spiritualiter significatur Filius, Unctus Patris, qui est vera nostra vita, qui in peccatis nostris irretitus fuit ; realiter autem hæc acciderunt Sedeciæ qui vocatus est Unctus Domini propter regnum. » Historiam Jonæ etiam explicat in sensu litterali et typico. Sic ad *Jon.* II. ait : « Piscis magnus qui deglutivit Jonam figura est mortis quæ absorbit Dominum nostrum. Fuit Jonas in visceribus piscis tribus diebus ; hac re significatur Dominum nostrum tribus diebus et tribus noctibus fuisse in inferioribus

partibus terræ. Vivus perstitit Jonas in visceribus piscis et vivus permansit Dominus noster postquam in sancto sepulchro conditus fuit. »

Exponit autem S. Doctor sensum litteralem sæpius per meram paraphrasin. Sic ad *Sophon.* II, 2 : « *Antequam sitis sicut gluma quæ a vento effertur*, i. e. antequam a populo Babylonis castigemini et dispergamini. » Et ibid. 4 : « *Quia Gaza derelicta erit, et Ascalon in ruinam* : Gaza scilicet et Ascalon Philisthæorum. » Ubi autem res postulat, explicationem addit. Sic ad *Aggæum* II, 10 : « *Et magna erit gloria domus hujus novissimæ plus quam primæ*. Hisce duo intenduntur : unum vult eos docere domum hanc esse novissimam nec fore aliam posteriorem, alterum vult ostendere domum a Zorobabele ornatam præstantiorem esse illa a Salomone ornata et pretiosiores esse thesauros novissimæ thesauris quæ David paravit et reposuit priori. Spiritualiter autem istud : *Erit gloria domus hujus*, etc. significat quam excelsa sit renovatio Adami per Christum effecta, etc. »

Editores romani commentaria S. Ephræmi quandoque liberius et per paraphrasin latine reddiderunt, ego conatus sum pressius litteræ adhærere et verbum verbo, quantum sinit differentia linguarum, reddere.

III. Commentaria excipiunt quatuor sermones e codicibus peranti-  
Sermones de admonitione, de reprehensione, et de magis, in-  
 quis, sæculi nempe V, VI et VII exscriptos. Sermo de *Admonitione* ex-

<sup>1</sup> In *Is.* XLIX, 3-6.



cantatori-  
bus ac con-  
summatio-  
ne.

stat in cod. add. 14,605 sæc. VII; in cod. Rich. 7,190 sæc. XIII, in cod. vat. syr. V<sup>1</sup> et in Musæi Britannici cod. add. 12,166 sæc. VI, fol. 99-103. In primo codice adscribitur Ephræmo, in tribus aliis S. Isaaco Antiocheno. Stylo quidem et eloquentia aliis Ephræmi sermonibus metricis prorsus similis est; at auctoritas trium codicum, inter quos unus est sæculi VI, Isaæo potius quam Ephræmo hunc sermonem vindicat. Quare anceps hæreo quisnam: an Ephræmus vel Isaacus revera illius sit auctor. Quum tres posteriores codices mihi non innotuerint nisi postquam sermo typis mandatus fuerat, impossibile fuit varias lectiones apponere. Totus est auctor in hoc sermone ut ex verbis Isaïæ « *omnis caro fœnum* » ostendat omnia in mundo fluxa, transeuntia et vana esse morteque finiri; herbæ similem esse hominem qui exoritur, exornatur, floret, deinde marcescit, decidit et perit. Hæc autem mirabili eloquentia evolvit.

Secundo loco posui sermonem de *Reprehensione* e codice membranaceo, perantiquo sæculi VI. Is codex duos Ephræmi sermones continet de *Reprehensione*; secundus editus est inter *Opp. Syr.-lat.* III, 654, sqq. Idcirco illum omisi. Et primum tantum exscripsi. Versibus septem syllabis constat, sicut tres alii sermones qui ei hic conjunguntur. In hoc ser-

mone S. Doctor, accepta occasione a ruina Nisibis, docet vitia esse fugienda; invehitur autem præsertim in mulieres et puellas libidinosas, quæ calceis nimium exornatis et saltatione ut Herodias, et filiæ Israel ad vitium pertrahunt. Hæc sunt vitia quæ ruinæ urbis causa fuerunt; fugienda igitur sunt, sectanda autem virtus cujus pulchritudo nunquam marcescit. Hic sermo exaratus fuerit post Nisibin a Persis captam. Tertio loco alium vulgavimus sermonem de *Reprehensione*, e cod. add. 12,176 decerptum. Hic codex antiquissimus est, utpote ad sæculum V vel VI referendus; nihil continet nisi Ephræmi opera. Invehitur rursus S. Doctor in vitia; ducunt quippe homines in damnationem; describit porro Ephræmus damnatorum pœnas, maxime pœnam ignis, quod et fecit eodem modo in sermone de *Timore Dei et consummatione sæculi*<sup>2</sup>. Statui damnatorum opponit felicitatem justorum in paradiso. Ignis inferni imaginem præbet incendium Sodomorum. Sermone claudit adducendo e veteri Testamento multa ultionis divinæ exempla. Quarto loco venit Sermo *De magis, incantatoribus et divinis et de fine et consummatione*, quem in duobus Musæi Britannici codicibus et in uno Oxoniensi invenimus<sup>3</sup>. E lectione Scripturarum patet adesse finem temporum et tamen

<sup>1</sup> Vid. J. S. Assemanus, *Bibl. Or.* I, 222, n. 19.

<sup>2</sup> *Opp. Syr.-lat.* III, 637-638.

<sup>3</sup> Cfr. quæ diximus infra col. 312 in Monito prævio et col. 393 in nota. In hac nota delenda sunt verba:

« Denique reperitur in cod. syr. vat. V falso sub nomine Isaaci Antiocheni. Vid. J. S. Assemanus, *Bibl. Or.* I, 222, n. 19. » Ista verba erronee ibi sunt apposita.

homines suam salutem negligunt, euntes ad veneficos, satanæ ministros, qui rerum sacrarum abusu nec proles eis præbere, nec mala ab eis avertere possunt. Ostendit hisce veneficis et his qui ad eos recurrunt diem Domini repente adventurum; vivida oratione depingit terribilia quæ inopinate fient quando Salvator angelis stipatus ad judicandum veniet; stabunt coram iudice cœlestem Jerusalem respicientes omnes iusti veteris et novi Testamenti quos longo agmine describit; stabunt ex altera parte cum mœrore Arius cum suis asseclis et magi ac venefici, omnes autem mercedem juxta opera accipient. Sæpius egit S. Ephræmus de adventu Christi in fine temporum, de iudicio ultimo, de consummatione mundi et resurrectione et quidem tanta compunctione, tam vivida oratione, tam vehementi et copiosa eloquentia ut vix alius inter Patres ipsi æquipari valeat. Hic autem sermo non infimum tenet locum inter alias S. Doctoris de hac re orationes. Agit porro Ecclesiæ syriacæ lumen de iudicio ultimo et fine mundi in sermone *De secundo Christi adventu*. *Opp. græc.* II, 192-209; et rursus in sermone *In resurrectionem, pœnitentiam, charitatem, et secundum Christi adventum*, *ibid.* II, 219-222; in sermone *De consummatione sæculi et adventu Antichristi*, *ibid.* II, 222-230; in sermone *In pretiosam ac vivificam crucem et in secundum Christi adventum*, *ibid.* 247-258; in sermone: *De patientia et consum-*

*matione sæculi et secundo Christi adventu*, et in altero *De secundo Christi adventu et patientia*, *ibid.* III, 93-104; 152-159; in sermone: *De iis qui in Christo obdormierunt*, *ibid.* 260-273; denique in sermone syriaco 13 inter diversos, et in canone funebri 12, *Opp. Syr.* III, 242-246; 629-638.

IV. S. Ephræmus piis ac suavis hymnis celebravit festa Domini, Beatæ ejus Matris et Sanctorum. In primo tomo jam vulgavimus hymnos de Epiphania, de azymis et de crucifixione, in hoc volumine veniunt hymni de nativitate Christi, de Beata Maria Virgine, de jejuniis quadragesimali et de diversis ad vitam Christi pertinentibus.

Hymni  
de Nativitate  
Christi.

.Editores romani jam e codicibus nitriensibus vulgaverunt quatuordecim *ܡܕܪܫܐ* *Madrase* in Nativitatem Domini quos minus recte sermones appellaverunt. Sermones enim *ܡܡܪܝܢ* *Mimre* appellantur et soluta oratione vel versibus septem syllabarum conscripti sunt; *Madrase* autem strophis et versibus constant ut odæ, hymni et cantica Latinorum. Sed multo plures hymnos S. Doctor composuerat. Hymnus enim quem primo loco posuimus, 25<sup>us</sup> erat in codice quo utebatur Jacobus Edessenus, ut diximus in nota ad stropham quintam hujus hymni. Differt ordo hymnorum in codicibus antiquissimis; sic in Musæi Britannici cod. add. 14,571 anni 518, hymnorum ordo diversus est ab illo quem secuti sunt editores romani.

Quum igitur attente investigarem codices syriacos Musæi Britannici feliciter nacti sumus octo hymnos nondum luce donatos, sex in cod. add. 14,506, fol. 140-152 unde alia multa deprompsimus et duos in cod. add. 14,571 sæculi VI. Hi iidem hymni separatim in aliis plurimis codicibus liturgicis inveniuntur, quandoque sine nomine auctoris, vel per fragmenta; inveniuntur etiam in codd. Mossulensibus quos cl. D. Rahmani presbyter Mossulensis benevole nobis communicavit. Quum autem in suis hymnis divus Syrorum vates agat non solum de Christi nativitate in carne verum etiam de partu Beatæ Virginis et de aliis quæ post partum evenerunt, ut adoratio Magorum, hinc codices liturgici inter hymnos de beata Dei Genitrice et de Epiphania nonnullos hymnos reponunt quos alii codices ad Christi nativitatem referunt. Sic hymnus X de B. M. V. in aliis codicibus ad nativitatem Christi, de qua revera agit, refertur.

In hymno primo hortatur poeta ad celebrandam cum angelis Christi nativitatem. « Sol, inquit, ingressus est uterum dum radii ejus in supernis et infimis diffundebantur. » Docet illum quem mundus comprehendere non potest habitasse in sinu Mariæ, quæ, illæso virginitatis signaculo, eum peperit. « Unigenitus, inquit, ingressus est uterum et nihil passa est casta virgo. Illapsus est in uterum et exivit in puerperio; sensit natum pulcherrima virgo. Invisibili gloria circumdatus

occultus fuit in ingressu, vilis vero et visibilis in egressu, quia Deus erat in ingressu et homo in egressu. Res auditu mira et intellectu impervia; ignis ingressus est uterum, corpus induit et exivit. » Pergit ostendens Christi nativitatem inscrutabilem esse.

In secundo hymno gratias agit ob misericordiam mundo exhibitam salutemque allatam per Christi nativitatem. Hac nativitate idola e mundo fugata sunt: « Loco ignis irrationalis qui per se materiam consumebat, magi adorarunt ignem qui dedit corpus se comedentibus. Conquestæ sunt creaturæ quod adorarentur. Omnium liberator eas exaudivit; nihil passus induit formam servi in utero, exivit et assumpta servi forma creaturam liberavit. Benedicta sit ejus nativitas. »

In hymno tertio sacer vates miratur cum gratiarum actione incomprehensibilem Christi nativitatem. « Amore suo Unigenitus Deitatis factus est Mariæ Unigenitus; mundus angustior erat ut involveret ejus amplitudinem et sinus Mariæ eum complexus est. Gloria illi ab omnibus. »

Hymnus quartus notissimus est in liturgicis officiis, celebrat necem infantium. « Messuerunt satellites in Bethleem flores teneros, ut cum eis simul periret semen recens in quo latebat panis vitæ. At fugerat spica vitæ ut fieret manipulus tempore messis. Iverunt satellites in paradysum floribus præcocibus plenum; excusserunt flores e ramis, flores et gemmas destruxerunt; vic-

timas innocentes, se inscio, perturbator obtulit. Væ ei beatæ illæ. »

Hymnus quintus et ipse notissimus beatam prædicat Ecclesiam ob præclarum festum, ob Christum natum ab angelis annunciatum, a magis adoratum, ab infantibus confessum, ab Isaia, Michæa, Daniele et Davide prænuntiatum; beatam prædicat Bethleem « quia in ea initium sumpsit Filius qui ab æterno est in Patre, et temporibus se subjecit qui ante omne tempus existit. »

In hymno sexto annus primus et secundus nativitatis Salvatoris et octo dies a Nativitate ad circumcisionem, sua quisque strophæ, laudes offerunt Christo, quod et faciunt dies decimus et dies purificationis Mariæ. Notandum est Magos, juxta Ephræmum, anno secundò advenisse, quæ est nonnullorum veterum sententia.

Hymnus septimus sistit Mariam gratias Filio agentem quod miserit Magos, coronaverit infantes, honoraverit speluncam. Beata virgo exclamat: « O puer virgo qui virginalia matris tuæ induisti, et ipsis integris exivisti, tu mihi es infans et sponsus et filius et Deus. »

Non nisi quinque strophæ remanent hymni octavi; fragmenta autem, e sermone super initium Evangelii S. Joannis servata, quædam doctrinalia de incarnatione continent, ut hoc: « Filius induit corpus destructibile ut sui corporis destructione renovaret creaturas exitium passas, » et illud: « Per aurem Maria vidit absconditum qui in voce venit. »

V. Hymni de beata Dei genitrice Maria desumpti sunt e sex Musæi Britannici codicibus liturgicis, cum quibus contulimus *scalas* in codice parisiensi contentas. Illud igitur hic in memoriam revocandum est quod tomo I, col. 3 monuimus, in codicibus liturgicis nec ordinem hymnorum servari, nec omnes hymnos referri, nec omnes unius ejusdemque hymni strophas quandoque saltem recitari. Totus autem est Vates Syrorum in hisce hymnis ut prædicet Mariam esse vere Deigenitricem, virginemque fuisse purissimam ante partum, in partu et post partum.

In hymno primo miratur Mariam « quæ sancte peperit filium et lac dedit nationum alitori atque in virgineis genibus sustentavit eum qui omnia sustinet. Virgo est et mater et quidnam non est. » Invitat deinde ordines virginum, Patrum et prophetarum ad gaudendum cum Maria. Secundus hymnus est veluti continuatio præcedentis; insistit autem maxime in hoc quod Maria, virgo permanens peperit. Tertii hymni quatuor tantum strophas habemus.

Hymnus quartus invitat puellas ad admirandam Mariam quæ « humani generis factorem peperit et omnium alitori lac dedit. » In hymno quinto poëta docet: « Maria virgo concepit et virgo peperit. Infans editus est per viam natorum. Mater ejus virgo fuit; prodigio induta, fructum portavit; simul autem venter ejus sigillo munitus clausus permansit. » In hymnis

Hymni  
de Beata  
Maria  
Virgine.



sexto et septimo, octavo et nono rursus invitat virgines et sapientes ad laudes virginis quam Isaias prædixit; beatam eam prædicat quia « dolores matrum haud experta exultavit in fructu matrum. » Signacula enim habuit intemeratæ castitatis et prolem habuit partus dolores removens. Ubi vides S. Ephræmum disertis verbis a partu illo virginali omnem dolorem remove. Continuo in aliis hymnis repetit virginalia in Maria integra remansisse, Mariam portam esse clausam, congressum maritalem nullam in conceptione Unigeniti partem habuisse « Quando, inquit hymn. 12, sponsus gloriosus exire voluit, virginalia somno oppressa reliquit, ita ut non sentirent ejus egressum. » Et in hymno XI : « Ingressus est per aurem et secreto uterum inhabitavit, e ventre porro exiens, non solvit virginalia, sicut nec solvit exeundo sigilla sepulchri. » « Maria gestavit cum in utero novem mensibus. » « Similis erat Mariæ sinus illi maritatarum et matrum et prolem gestabat, nullo habito congressu. » Nec ulla difficultas exinde ingeri potest quod loquendo de partu Virginis semel et iterum Ephræmus adhibeat vocabulum *مظل* quod proprie dolores partus significat, quia istud vocabulum sæpe adhibetur ad designandam parturitionem nullo habito respectu ad dolores e maledictione Evæ partum comitantes. Etenim Mariam a maledictione Evæ immunem fuisse perspicue docet.

Hymnus decimus potius ad Chri-

sti nativitatem quam ad beatam Mariam virginem refertur. « Sine me, inquit sacer vates, fide dicere generationem tuam. Ecce in Patre tuo es, et in Maria, in curru cherubim, et in præsepio et in omni loco. In Patre es verissime et in Matre certissime. Tu es ille qui ex Patre est, et tu es ille qui ex matre est, tu es ille qui unus est, tu es ille qui venit et venturus est. Filius Patris, filius es Mariæ, et unum es Verbum Dei, supernaturaliter e matre, naturaliter e Patre, extraordinarie e Jordane natum; e flumine, e matre et e Patre unus idemque es Puer-Deus. » Non potest expressius declarari Mariam Deigenitricem esse. Mox repetit : « Similis es Patri in virtute, in essentia, in natura, in potestate; similis es Mariæ tuæ parenti, ex qua formam humanam assumpsisti. » Et adhuc : « Igneus es, spiritalis es, Entis summi filius es, incarnatus e filia Davidis e genere servorum es; etiam carnem et ossa habes, o incorporee, qui corpus assumpsisti. » « In nativitate tua ex Patre non te formasti, quia non habes principium. In Maria autem formasti te quia voluisti. Stat Maria, mater tua, soror tua, sponsa tua, ancilla tua; ipsa quippe peperit te, te amore fovit, amplexa est, osculata est, laudavit, oravit, gratias egit, lac dedit. Ecce tenet te, blanditur tibi, ridet pueritiæ tuæ, tu vero lac suges hilaris et exultans. » In ceteris hymnis totus est Ephræmus ut inculcet vel prædicet præcipuam illam maternitatis divinæ præro-

gativam. Hymnus undecimus varias celebrat prærogativas beatæ et intemeratæ virginis, quod et fit in hymnis XII-XVI, quos putem non esse integros.

Hymnus decimus septimus alphabeticus est. Post invocationem ad Deum poeta inducit angelum colloquentem cum Maria. Angelus salutat Mariam: « Pax tecum, Mater Domini, benedicta tu, o puella, et benedictus fructus ventris tui. » Maria attonita inquit de mysterio et post suavissimum colloquium cum angelo tandem consentit et eodem momento concipit.

Hymnus decimus octavus etiam alphabeticus est et rursus de annunciatione angeli ac de incarnatione Verbi Mariæque prærogativis agit. Sic eam rursus Matrem Dei prædicat: « Virgo quæ Unigenitum peperit, Deum et hominem enutrivit (in sinu suo) et mater facta est pueruli absconditi, qui ex Patre natus est perfectus et infans factus est in utero ejus. » « Maria Ignem in manibus portabat et flammam brachiis amplexabatur; flammæ ubera sugenda præbebat et omnium alitori lac dabat. » « Maria fons est purissimus, cui nihil immixtum est fluxus conjugii, ipsa in sinu suo recepit flumen vitæ. » « Maria peperit Deum qui mundum replet benedictione. »

Hymnus decimus nonus suavis ac gratissima cantilena est Beatæ Virginis blandientis suo nato Deo. « Portabat, inquit, puerulum, blandiebatur, amplexabatur, blandis

vocibus gratulabatur adorabatque dicens: « Jube mihi, Domine mi, amplexer te. Filius meus es, meis cantilenis blandiar tibi. »

Hymnus vigesimus est de Simeone sene et Maria agitque de oblatione Christi in templo, et de cantico Simeonis. Hi quatuor ultimi hymni ad illud genus pertinent quod Syri « Sugita » appellant.

VI. Hymni de jejunio magno, id est de jejunio quadragesimali, desumpti sunt e sex Musæi Britannici codicibus, quorum unus, e quo jam Hymni de jejunio quadragesimali. hymnos de azymis et crucifixione desumpsimus, anno Christi 519 scriptus fuit, tres alii ad sæculum sextum vel septimum pertinent, duo alii liturgici sunt et sæculi sunt decimi: Hymni dumtaxa sunt undecim; nam duodecimus non hymnus sed sermo est et quidem mancus. In hisce hymnis hortatur ad jejunium, cujus necessitatem, dotes, conditiones et fructus egregie evoluit. Hymnus primus docet jejunio dissolvi obcæcationem ab Adamo nobis transmissam; secundus, tertius et quartus proponunt exemplum Danielis a feris non læsi et trium puerorum, qui in fornacem conjecti ab igne nihil passi sunt, dum Babylonii flammis combusti fuere. Jejunium corpus et animam Danielis triumque puerorum exornavit. In hymno quinto celebratur jejunium Moysi in mense Nisan.

Hymnus sextus, qui videtur primo loco ponendus fuisse, in exemplum adducit jejunium quadragesimale Christi: « Hoc est jejunium Unigeniti et principium ejus

triumphorum ; gaudeamus de ejus adventu. Per jejunium Unigenitus triumphavit. Jejunio homo vincit Héluonem qui per fructum vicit Adamum. » Describit salutes jejunii effectus : jejunium animam purificat et refrænât gulam, sed jejunium sit oportet non solum oris sed et cordis. Hymnus septimus continuat præcedentem et in exemplum adducit Estherem et Jonam. In hymnis octavo et nono ostendit jejunio vinci diabolus ; hymnus vero decimus docet abstinentiæ alias virtutes esse adjungendas ; non autem ore tantum sed corde maxime jejunandum esse jubet hymnus undecimus. Seriem claudit sermo incompletus in quo S. Doctor de jejunio generatim agit.

Hymni  
diversi.

VII. Tres hymni qui sequuntur ad illam collectionem pertinent, quæ in antiquissimo codice vaticano appellatur de *Ecclesia* et agunt de miraculis a Christo patratis, de triumphali ejus ingressu in Jerusalem et de portentis in ejus morte visis. Assemanus<sup>1</sup> quinque hymnos in codice vaticano legit quorum tres tantum, quia codex initio mutilus est, habemus. Hymni decimus sextus et decimus septimus agunt de tabulis legis et pertinent ad eandem collectionem. Quatuor qui sequuntur hymni tum doctrina tum poesi pulcherrimi agunt de descensu Christi ad inferos deque ejus

resurrectione ac festo paschatis. Desumpti sunt e codice sæc. VI vel VII. Ultimo loco veniunt tredecim hymni ex illa collectione desumpti quæ titulum habet de *Ecclesia et virginitate*. Cod. add. 17,141 sæc. VIII-IX subministravit novem hymnos priores eodem ordine quo veniunt in codice vaticano anni 523<sup>2</sup>. Tres priores hymni de castitate et virginitate agunt. Porro, etsi S. Doctor virginitatem matrimonio præstare doceat, non parvipendet nuptias quæ ad propagationem generis humani sunt institutæ. In omnibus autem homo veterem hominem exuere debet carnemque ac concupiscentias domare. Hymni quatuor qui sequuntur, agunt de variis symbolis quæ oleum et oliva nobis subministrant in re doctrinæ christianæ et pietatis ; et sic divus vates per contemplationem rerum naturalium animam elevat ad res spirituales considerandas pietatēque mire promovet. Sequuntur tres hymni de divina Christi œconomia, qui mira arte confecti de rebus evangelicis agunt deque redemptionis effectibus. Denique tres reliqui hymni agunt de Christo tentato, de urbe Sichem et de Cana in qua Christus primum suum fecit miraculum. Veniunt isti hymni, quos reperimus in cod. add. 14,506, in codice vaticano sub numeris 14, 17 et 33<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> *Bibl. Or.* 1. 90, n. 38.

<sup>2</sup> Vid. J. S. Assemanus, *Bibl. Orient* 1, 92-94.

<sup>3</sup> Cfr. Assemanus *Bibl. Or.* 1, 95-96.

NOTA.

Quum in recenti meo itinere in urbem Londinensem observavissem in catalogo codicum syriacorum Musæi Britannici a cl. G. Wright edito<sup>1</sup> indicari fragmenta sermonis S. Ephraemi de Simone pharisæo et muliere peccatrice et alterius sermonis de Simeone sene et Christi in templo oblatione, tanquam contenta in codice antiquissimo sæc. V vel VI, (*add. man.* 14,654, fol. 34-45), mens fuit ea exscribere. Vix autem inceperam quum animadverti hisce foliis nihil aliud contineri quam fragmentum satis amplum sermonis *de Domino nostro* in tomo primo col. 145-274 a me editi. Continet nimirum istud fragmentum ea quæ habentur in sermone de Domino a n. 21 ad 53 cum nonnullis lacunis. In codice autem ordo foliorum turbatus est; folia enim 38-42 reponenda sunt ante

folium 31. Porro in hisce foliis, quibus nomen Ephraemi minio appositum est, feliciter nactus sum folium quod in cod. add. 14,370 desiderabatur. Quare exinde hic supplevi lacunam tomi I, col. 248 ad finem. Præterea varias lectiones cod. 14,654 sub littera B collegi et infra indicavi. Porro uterque codex mire consentit. Sunt tamen quædam orthographiæ differentiæ quas hic semel indicavisse sufficiat: pro *ܦܢܥܘܪܐ* codex B fere constanter habet *ܦܢܥܘܪܐ*, pro *ܦܢܥܘܪܐ* habet *ܦܢܥܘܪܐ*, pro *ܦܢܥܘܪܐ* habet *ܦܢܥܘܪܐ*, pro *ܦܢܥܘܪܐ* habet *ܦܢܥܘܪܐ*, pro *ܦܢܥܘܪܐ* habet *ܦܢܥܘܪܐ*, pro *ܦܢܥܘܪܐ* habet *ܦܢܥܘܪܐ*.

Sic igitur in cod. 14,654, f. 35 verso continuatur sermo *de Domino nostro* n. 43: *ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ*

ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ . ܦܢܥܘܪܐ . ܦܢܥܘܪܐ  
 ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ . ܦܢܥܘܪܐ  
 ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ  
 ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ .  
 ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ .  
 ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ .  
 ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ .  
 ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ .  
 ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ .  
 ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ .  
 ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ .  
 ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ .  
 ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ .  
 ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ .  
 ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ ܦܢܥܘܪܐ .


« Quia igitur peccatrix fuit, opera ejus libidinosa fuerunt, et hæc quidem peragenda habuit; si autem a lascivia peccatorum nunc munda est, agnosce, o pharisæe, illum quem prophetam esse negasti ipsum esse qui ex impudicis honestos facit. Ex hoc enim quod scis eam peccatricem et quod cernis eam pœnitentem, inquirendum tibi est quænam virtus eam immutavit. Oportebat igitur ut pharisæus prosterneret se ad adorandum eum qui etiam tacens suo silentio castos reddit quos prophetæ vehementibus suis sermonibus ad castitatem adducere nequiverunt. Cernere erat in domo istius pharisæi rem miram ac stupendam, mulierem scilicet peccatricem quæ flens consistebat nec cur fleret dicebat, dum ille ad cujus pedes sedebat eam non interrogabat cur fleret. Porro non indigebat peccatrix ut labiis rogaret Dominum, quia credebatur ipsum utpote Deum nosse petitiones in lacrymis suis absconditas; Dominus

<sup>1</sup> Vide W. Wright, *Catalogue of the syriac manuscripts in the British Museum*, p. 4082.









# MONITUM

## IN ACTA S. EPHRÆMI.

---

Quæ sequuntur S. Ephræmi Acta e cod. syriaco parisiensi 235 fol. 125-142 descripta fuerunt a cl. D. MARTIN., S. Scripturæ in Instituto catholico parisiensi professore, qui apographum suum benevole mihi communicavit. Codex est chartaceus ad sæculum XIII pertinens<sup>1</sup>. Vita autem, quam continet, S. Ephræmi convenit quidem in multis cum *Actis* S. Doctoris, quæ

descripta sunt e codice vaticano sæculi XI et edita in tomo tertio *Opp. Syr. lat. S. Ephræmi*<sup>2</sup>, et maxima ex parte jam a J. S. Assemano in sua *Bibliotheca Orientali*<sup>3</sup> qui et Acta breviora ex alio ejusdem ætatis codice simul edidit. In nonnullis tamen magni momenti rebus prorsus differt, quod perspicuus cl. D. Bikell quædam e cod. paris. protulit latine primum, deinde syriace<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> Cfr. Zotenberg, *Catal. des manuscrits syriaques de la Bibliothèque nationale* N° 235.

<sup>2</sup> Cfr. *S. Ephræm Syri Opp. Syr. lat.*, Romæ 1743, t. III, p. XXIII-LXIII.

<sup>3</sup> Cfr. J. S. Assemanus, *Bibl. Orient.* I, 26-55.

<sup>4</sup> Latine in libro : *Conspectus rei Syrorum litterariae*. Monasterii, 1874, p. 26, sqq. ; Syriace in *Zeitschrift des D. M. G.* 1873, p. 600-603.

HISTORIA S. EPHRÆMI  
DOCTORIS SYRI.

ORATIO EJUS NOBISCUM.

Virtute Domini nostri Jesu-Christi et ope ac auxilio orationum ejus confisi incipimus historiam Actorum sancti Ephræmi a vitæ ejus exordio usque ad finem, quæ Edessæ, Mesopotamiæ civitate, contigit.

1. Sanctus Ephræm erat genere Syrus. Pater autem ejus erat e Nisibi, urbe in confiniis sita<sup>1</sup>. Nondum enim Persis tradita fuerat<sup>2</sup>. Mater autem ejus erat ex urbe Amida<sup>3</sup>. Erat porro pater ejus Nisibi sacerdos idoli cujusdam nomine Abizal<sup>4</sup>, quod inclytus imperator Jovianus<sup>5</sup> postea confregit. Natus est igitur patri suo puer ille inclytus diebus Constantini imperatoris victoris<sup>6</sup>. Deus Ephræmum ab utero matris, ut Jeremiam, elegit, ut per eum hæreticorum sævitiam extingueret et totum orbem veræ doctrinæ radiis illuminaret. A Deo igitur electus divina gratia servabatur ne immisceret se sacrificiis impuris cœtibusque ac solemnitatibus

ܠܥܕܝܫܐ ܘܡܝܘܨܐ  
ܟܘܢܐ ܐܦܪܝܡܐ ܡܠܟܘܬܐ ܕܥܕܝܫܐ ܘܡܝܘܨܐ :

ܘܗܘ ܥܠܐ ܫܡܝܐ ܘܡܝܘܨܐ ܡܥܘܠܐ ܡܥܘܠܐ :  
ܡܠܟܐ ܠܥܕܝܫܐ ܡܥܘܠܐ ܘܡܝܘܨܐ ܘܡܝܘܨܐ :  
ܡܥܘܠܐ ܡܥܘܠܐ ܘܡܝܘܨܐ ܘܡܝܘܨܐ ܘܡܝܘܨܐ :  
ܡܥܘܠܐ ܡܥܘܠܐ ܘܡܝܘܨܐ ܘܡܝܘܨܐ ܘܡܝܘܨܐ :  
ܡܥܘܠܐ ܡܥܘܠܐ ܘܡܝܘܨܐ ܘܡܝܘܨܐ ܘܡܝܘܨܐ :  
ܡܥܘܠܐ ܡܥܘܠܐ ܘܡܝܘܨܐ ܘܡܝܘܨܐ ܘܡܝܘܨܐ :  
